Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1711
Quelle:
Copyright:

ventus *Aulae Regiae, Militii* illustris Praedicatoris *Prag.* praeter anteriores *Simonem de Cassia, Bonaventuram* &c. A *fol.* 146. p. 2. sensim ad *Antichristum* delabitur Autor, et *fol.* 156. de *Clemente* VII. sive *Roberto Gebenn.* ait: *quod eciam super summum apostolicum et verum papam scilicet Vrbanum VI. ausus est se eleuare* &c. Et mox: vacasse illum *toto tempore suo fere per XII. annos* (ab a. 1378. ad an. Urbani emortualem 1389.) *rixe et contencioni, ut singuli clament et contentiose dicant ad singulos: Ego cephe, ego pauli, ego clementis, ego vero vrbani* &c. *Fol.* 157. de Cultu Imaginum haec legas: *Decreuit insuper quod sicut de precando, quod in lingwa boemica sonat* modlyty sye, *et sic docere populum collegialiter* aby sye obrasom lyde modlyly &c. *Fol.* 221. Autor Operi suo inseruit totum Tractatum *Guilelmi de S. Amore*, cui titulus: *De Periculis novissimorum Temporum*, a nobis jam *Cod.* DXLIV. et saepius relatum, eumque Praeloquio instruxit, quod incipit: *Sequitur hic tractatus quem vniuersitas gloriosa magistrorum parisiensium et* (in) *sacra pagina conpilauit* &c. Et paullo post: *Quod quidam papa qui erat de ordine fratrum minorum infirmauit aut condempnauit illum plenum vtilitate ecclesie libellum uel abiecit, Ego contraire illi non audeo, ne videar os meum ponere contra celum, illud tamen opinor, quod magis hoc fecit amor et selus* (Zelus) *ordinis fratrum minorum et aliorum super mendicitate constructorum* &c. Ubi noto, Libellum *Guilelmi* non recte tribui *toti* Universitati, neque ejus condemnatorem *Alexandrum* IV. de ordine fratrum minorum fuisse. Libellus porro in calce variat ab edit. *Constant.* rectius *Parisina* 1632. 4. caret enim tota Peroratione, quae ibi incipit p. 72. *Cum igitur veritas divinæ scripturæ sit infallibilis* &c. ejusque loco habet *Quadragesimum secundum* signum Pseudoapostolorum, quo caret Editio. Atque ex hactenus indicatis quidni probabiliter referri possit Opus *de Regulis V. et N. T.* ad *Joh. Hussum?* Haec vero probabilitas convalescit e L. III. *Distinct.* 12. quae nobis *fol.* 261. p. 2. inscribitur: *De abbominacione in loco Capitolum quod dissensio sacerdotum in ecclesia est abbominacio et causa abbominacionis et de pace mala Osee quinto capitolo*, et incipit: *Audite hec sacerdotes et attendite domus israel* &c. Nam ista *Distinctio* legitur in edit. *Opp. Hussi supracit.* T. I. p. 473. repetita ex edit. *Argent.* 1524. quam *Otho Brunfelsius Mart. Luthero* dicarat. Juvat ejus verba e praevia Epistola adscribere. *Quomodo vero in nostras manus venerit*, quia prolixa est fabula, *hoc satis dictum sit, de libris Huttenicis interceptis mihi esse redditum, et quod bona fide, vetustissimisque exemplaribus testari possumus, suppositititium non esse. Plura super iis neque expedit, ne-*

que